

ris : « Manibus meis, inquit, Deum exquisivi nocte co-
 » ram eo. Ut Pater tuus, qui videt in occulto, reddat
 » tibi¹; » ideo, coram eo. Intus habeas misericordiam,
 charitatem, ne aliquid facias quasi studio placendi homi-
 nibus : manibus meis, operibus meis. In umbra, in hac
 vita : ubi ipse videt, non ubi placere hominibus studeo.
 Et quid sequitur? « Et non sum deceptus. Homo vani-
 » tati similis factus est, dies illius tanquam umbra tran-
 » seunt : » et tamen innotuisti ei, et aestimas eum.

XII. « Domine, inclina cœlos tuos, et descende : tange
 » montes, et fumigabunt. Corusca coruscationem, et
 » disperge eos; emitte sagittas tuas, et conturbabis eos.
 » Emitte manum tuam ex alto : et exime me, et erue me
 » de aquis multis². » Corpus Christi, humilis David,
 gratia plenus, de Deo præsumens, pugnans in hoc sæ-
 culo, invocat adjutorium Dei, « Inclina cœlos tuos, et
 » descende. » Qui sunt cœli inclinati? Apostoli humili-
 liati. « Isti enim cœli enarrant gloriam Dei : » et de his
 cœlis enarrantibus gloriam Dei mox dicitur : « Non sunt
 » loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces
 » eorum : in omnem terram exivit sonus eorum, et in
 » fines orbis terræ verba eorum³. » Cum ergo isti cœli
 emitterent voces suas per omnes terras, et facerent mi-
 rabilia, coruscante de illis et intonante Domino miraculis
 et præceptis, putati sunt dii descendisse de cœlo ad ho-
 mines. Nam quidam ex Gentibus hoc putantes, eis etiam
 sacrificare voluerunt. Tunc illi videntes sibi deferri inde-
 bitum honorem, et expavescentes, et detestantes, et eos
 qui sic errabant corrigentes, ut ostenderent eis motum
 animi sui, consciderunt vestimenta sua, et dixerunt :
 « Quid hoc facitis? Homines et nos sumus passibiles,
 » sicut et vos⁴. » Et cœperunt sub his verbis commen-

¹ Matth. vi, 4. — ² Psal. cxliii, 5-7. — ³ Id. xviii, 2-4. — ⁴ Act. xiv, 13.

dare excellentiam Domini nostri Jesu Christi, humilian-
 tes se ut commendaretur Deus : quia inclinati erant cœli,
 ut descenderet Deus. « Inclina ergo cœlos tuos, et des-
 » cende. » Factum est. « Tange montes, et fumigabunt : »
 montes superbos, elationes terrenas, tumidas granditates :
 « Tange, » inquit, tange istos montes, de gratia tua da
 istis montibus : « Et fumigabunt, » quia fatebuntur pec-
 cata sua. Fumus confitentium peccatorum, extorquebit
 et lacrymas humiliatorum superbiorum. « Tange montes,
 » et fumigabunt. » Quandiu non tacti, magni sibi videntur.
 Dicturi sunt : « Tu magnus, Domine¹ : » dicturi sunt
 et montes, « Tu solus altissimus super omnem terram². »

XIII. Sed sunt quidam conspirantes, convenientes in
 unum adversus Dominum, et adversus Christum ejus³.
 Convenerunt, conspiraverunt. « Corusca coruscationes,
 » et disperges eos. » Crebresce miraculis tuis, et solvetur
 conspiratio eorum. « Corusca coruscationes, et disperges
 » eos⁴. » Jam miraculis territi, non audebunt aliquid con-
 tra te, et in ipsis miraculis expavescentes hæsitabunt.
 Quis est iste, qui tanta potest? quis est iste, qui sic exal-
 tatur, cujus nomen tantum valet? Cum dicunt, Quis est
 iste, credituri sunt : coruscasti miraculis, et dispersisti
 malam consensionem eorum. « Emitte sagittas tuas et con-
 » turbabis eos. Sagittæ potentis acutæ⁵, » præcepta tua,
 dicta tua feriant cor eorum. « Emitte sagittas tuas, et
 » conturbabis eos. » Vulnerentur male sani, ut sanentur
 bene vulnerati : et dicant jam in Ecclesia et in corpore
 Christi constituti, dicant cum Ecclesia : « Quoniam vul-
 » nerata charitate ego sum⁶. Emitte sagittas tuas et con-
 » turbabis eos. »

XIV. « Emitte manum tuam ex alto⁷. » Quid postea?

¹ Psal. xlvii, 2. — ² Id. viii, 19. — ³ Id. ii, 2 et Act. iv, 26, 27. — ⁴ Psal. cxliii, 6. — ⁵ Id. cxix, 4. — ⁶ Cant. ii, 5, juxta lxx. — ⁷ Psal. cxliii, 7.

quid in fine? Quomodo vincit corpus Christi? Cœlesti adjutorio. « Veniet enim ipse Dominus in voce Archangeli, » et in tuba Dei descendet de cœlo¹: » ipse Salvator corporis, manus Dei. « Emitte manum tuam ex alto; et exime me, et erue me de aquis multis. » Quid est, « De aquis multis? » De populis multis. Quibus populis? Alienigenis, infidelibus, sive foris oppugnantibus, sive intus insidiantibus. « Exime me de aquis multis, » in quibus me exercebas, in quibus me ad exuendum a sordibusolvebas. Hæc est illa aqua contradictionis². « Exime me et » erue me de aquis multis. »

XV. Audiamus jam de istis aquis multis, a quibus eruet Deus corpus Christi sui, a quibus eruet Deus humilitatem David. Quid est, « De aquis multis? » Quid dixisti, ne aquæ aliter intelligantur? quid dixisti aquas multas? Quid dixi, audi. « De manu filiorum alienorum. » Audite, fratres, inter quos simus, inter quos vivamus, a quibus erui desideremus. « Quorum os locutum est vanitatem. » Hodie vos omnes, si non ad hæc divina spectacula verbi Dei congregati essetis, et eis hac hora permixti viveretis, quantas vanitates audiretis? « Quorum os locutum est vanitatem. » Quando denique loquentes illi vanitatem, audirent vos loquentes veritatem? « Quorum os locutum est » vanitatem, et dextera eorum dextera iniquitatis³. »

XVI. Quid tu inter eos cum vase pastoralis, habente quinque lapides? Dic mihi aliter: eandem Legem quam significasti quinque lapidibus, significa et aliter. « Deus, » canticum novum cantabo tibi. » Canticum novum, gratiæ est; canticum novum, hominis novi est; canticum novum, Testamenti Novi est. « Cantabo tibi, inquit, canticum novum. » Sed ne putes gratiam a Lege discedere, cum magis per gratiam Lex impleatur: « In psalterio de-

¹ Thess. iv, 15. — ² Num. xx, 13. — ³ Psal. cxliii, 8.

» cem chordarum psallam tibi⁴. In psalterio decem chordarum, » in Lege decem præceptorum: ibi tibi psallam, ibi tibi gaudeam, ibi tibi cantem Canticum novum; « Quia plenitudo Legis charitas est². » Cæterum qui non habent charitatem, portare psalterium possunt, cantare non possunt. Ego itaque, inquit, inter aquas contradictionis cantabo tibi Canticum novum: et nunquam strepitu suo facient aquæ contradictionis, ut obmutescat psalterium meum. « In psalterio decem chordarum psallam » tibi. »

XVII. « Qui dat salutem regibus: » jam fumantibus montibus. « Qui redimit David servum suum. » Agnoscitis David, estote David. Unde redimit David servum suum? unde redimit Christum? unde redimit corpus Christi? « De » gladio maligno erue me³. De gladio, » non sufficit, addit, « Maligno. » Procul dubio est gladius benignus. Quis est gladius benignus? De quo Dominus dicit: « Non veni » pacem mittere in terram, sed gladium⁴. » Separaturus enim erat fideles ab infidelibus, filios a parentibus, et cæteras necessitudines dirempturus, gladio putredinem abscedente, membra autem Christi sanante. Est ergo benignus gladius bis acutus, utroque acumine præpotens, Veteris et Novi Testamenti, narratione præteritorum et promissione futurorum. Est ergo iste gladius benignus: ille autem malignus est, quo illi loquuntur vanitatem; quia benignus est, quo Deus loquitur veritatem. Ergo, « A gladio » ligno erue me. Filii quippe hominum dentes eorum » arma et sagittæ, et lingua eorum gladius acutus⁵. » Ab hoc gladio maligno erue me. Quem dixit modo gladium, ipsas superius dixit aquas multas: « Erue me de aquis » multis. » Quas dixi aquas multas, ipsum dico gladium

¹ Psal. cxliii, 9. — ² Rom. xiii, 10. — ³ Psal. cxliii, 10, 11. — ⁴ Matth. x, 34. — ⁵ Psal. lvi, 5.

malignum. Denique de aquis multis cum dixisset; secutus est, « De manu filiorum alienorum, quorum os locutum » est vanitatem. » Et ut noveris ipsos dici, cum et hic dixisset: « De gladio maligno erue me; » secutus est. « Et » exime me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum est vanitatem: » similiter sicut ibi. Et quod sequitur, « Dexteram eorum dexteram iniquitatis: » hoc et supra posuerat, quando eos dixerat aquas multas. Tu enim ne aquas multas bonas putares, exposuit eas in gladio maligno. Nunc ergo exponat, quod dixit: « Quorum os locutum est vanitatem, et dexteram eorum dexteram iniquitatis. » Quam vanitatem locutum est os eorum? Et quomodo « Dexteram eorum dexteram iniquitatis? »

XVIII. « Quorum filii ipsorum velut novellæ stabilitæ in juventute sua¹. » Felicitatem ipsorum vult enumerare. Attendite filii lucis, filii pacis; attendite filii Ecclesiæ, membra Christi; attendite quos dicat alienigenas, quos dicat filios alienos, quos dicat aquas contradictionis, quos dicat gladium malignum. Attendite obsecro; quia inter istos periclitamini, inter horum linguas adversus carnis vestræ desideria dimicatis: inter horum linguas positas in manu diaboli, de quibus pugnat, colluctationem habetis, « Non adversus carnem et sanguinem, sed » adversus principes et potestates, et rectores mundi » tenebrarum harum, hoc est, iniquorum². » Attendite, ut discernatis vos: attendite, ne putetis veram felicitatem esse, quam sibi optant homines aut infirmi aut maligni. Ecce, fratres, certe filios alienos dixit, certe aquas multas, certe gladium malignum. Videte vanitatem, quam loquuntur, et cavete ne talia loquamini, cavete ne talia loquentes imitemini. « Quorum os locutum est vanitatem, » et dexteram eorum dexteram iniquitatis. » Quam vanitatem

¹ Psal. cxliii, 12. — ² Ephes. vi, 12.

locutum est os eorum, et quæ dexteram eorum iniquitatis est dexteram? Audi, « Quorum filii ipsorum velut novellæ » stabilitæ a juventute sua: filiæ eorum compositæ, » et ornatae sicut similitudo templi: cellaria eorum plena, eructantia ex hoc in hoc; oves eorum foecundæ, » multiplicantes in egressibus suis; boves eorum crassi. » Non est ruina sepi, nec exitus, neque clamor in plateis eorum¹. » Ergo non est ista felicitas? Interrogo filios regni cælorum, interrogo progeniem resurrectionis in æternum, interrogo corpus Christi, membra Christi, templum Dei: Ergo non est ista felicitas, habere filios incolumes, filias ornatas, plena cellaria, abundantia pecora, nullam ruinam, non dico parietis, sed nec sepi; nullum tumultum et clamorem in plateis, sed quietem, pacem, abundantiam, copiam rerum in domibus, in civitatibus? Ergo non est ista felicitas? aut debent eam justii defugere? aut non invenis et domum justii abundantem rebus his omnibus, plenam ista felicitate? Non erat domus Abrahamæ abundans auro, argento, filiis, familia, pecoribus²? Nonne Jacob sanctus patriarcha fugiens a facie Esau fratris sui in Mesopotamiam, serviens ditatus, regressus est, et egit gratias Domino Deo suo, quia in virga sua transiit fluvium, et regressus est cum tanta abundantia pecorum atque filiorum³? Quid dicimus? non est ista felicitas? Sit licet, sed sinistra. Quid est, sinistra? Temporalis, mortalis, corporalis. Nolo illam jam diffugas, sed neque dexteram putes. Non enim isti ideo maligni, ideo vani, quia his abundabant: sed quia id quod sinistrum esse debuit, in dexteram ponebant. Ideo « Et » dexteram eorum dexteram iniquitatis; » ideo « Os eorum » locutum est vanitatem: » quia hoc in dexteram posuerunt, quod in sinistra habere debuerunt. Quid enim in

¹ Psal. cxliii, 12-14. — ² Gen. xii, 5, et xiii, 2. — ³ Id. xxxi, 18.

dextera ponere debuerunt? Deum, aeternitatem, annos Dei non deficientes, de quibus dicitur: « Et anni tui non » deficient¹. » Ibi dextera, ibi esse debet desiderium nostrum. Sinistra utamur ad tempus, dexteram desideremus in aeternum. Divitiae si fluant, ne apponatis cor². Si enim divitiis fluentibus cor apposueritis, quod sinistrum est, dexterum facietis. Corrigite vos, agnoscite sapientiam amplectentem vos: cui dictum est: « Sinistra » ejus sub capite meo, et dextera ejus complectetur me³. » Videte amatoria sancta Cantica, videte Cantica canticorum, nuptiarum coelestium Christi et Ecclesiae. Quid dicit sponsa de sponso? « Sinistra ejus sub capite meo, et » dextera ejus complectetur me. » Sinistra sub capite, dextera super caput. Amplectentis enim desuper brachium super caput, sinistra autem subter caput. Sinistra, inquit, ejus sub capite meo. Non enim me deseret in temporalibus necessariis: sed tamen ipsa sinistra sub capite erit, non capiti praeponeatur, sed erit sub capite; ut dextera ejus complectatur me, pollicens vitam aeternam. Ita enim sinistra sub capite, si dextera super caput: impleturque quod ad Timotheum scriptum est: « Promissio- » nem habens vitae praesentis et futurae. Promissionem, » inquit, habens vitae praesentis et futurae⁴. » Quid in praesenti? Sinistra sub capite. Quid in futuro? Dextera ejus complectetur me. Tempori necessaria quaeritis? « Quaerite primum regnum Dei, id est, dexteram; et » haec omnia apponentur vobis⁵. » Habebitis hic, inquit, et divitias et gloriam, et in futuro saeculo vitam aeternam: et sinistra continebo infirmitatem vestram, et dextera coronabo perfectionem vestram. An forte Apostoli relinquentes omnia sua, aut pauperibus quod habebant

¹ Psal. cx, 28. — ² Id. lxi, 11. — ³ Cant. ii, 6. — ⁴ I Tim. iv, 8. — ⁵ Matth. vi, 33.

distribuentes, sine divitiis in hoc saeculo remanserunt? Et ubi est illa promissio sinistrae, « Accipiet in hoc saeculo septies tantum¹? » Multiplicationem promisit. Et revera quid desit homini Dei? Si quis forte infidelis est, unam domum aut paucas habet: « Fidelis hominis totus » mundus divitiarum est². » Vide sinistram ejus plenam sub capite: « Accipiet in hoc saeculo septies tantum. » Vide dexteram complectentem: « Et in futuro saeculo vi- » tam aeternam. » Merito et alio loco de ipsa Sapientia dicitur: « In dextera ejus anni vitae, et in sinistra ejus » divitiae et honor³. »

XIX. Unde ergo isti vaniloqui; quare vanitatem locutum est os eorum? Quia « Dextera eorum dextera iniqui- » tatis. » Non ergo eos arguo, quia filii eorum velut novellae constabilitate a juventute sua, nec quia filiae eorum ornatae sicut similitudo templi, nec quia caetera abundantia et pax terrena aderat eis. Sed quare arguo? « Beatum dixerunt populum cui haec sunt⁴. » O loquentes homines vanitatem! « Beatum dixerunt populum cui haec » sunt. » Perdiderunt veram dexteram, maligni, perversi, beneficia Dei inverse vestierunt. O maligni, o vaniloqui, o filii alieni! « Beatum dixerunt populum cui » haec sunt. » Quod ad sinistram erat, ad dexteram posuerunt. « Beatum dixerunt populum cui haec sunt. » Quid tu David? quid tu corpus Christi? quid vos membra Christi? quid vos, non filii alieni, sed Dei? Quoniam vaniloqui filii alieni, « Beatum dixerunt populum cui haec » sunt. » Vos quid dicitis? « Beatus populus cujus Do- » minus Deus ipsius. » Habete ergo sinistram, sed in sinistra: desiderate dexteram, ut ponamini ad dexteram. In sinistra enim habuerunt sinistram, apud quos esurivit,

¹ Matth. xix, 29. — ² Prov. xvii, 6, juxta lxx. — ³ Prov. iii, 16. — ⁴ Psal. cxliii, 15.